



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola LIV. Alexandri Papae III. Ad Eosdem. Eiusdem argumenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

EPISTOLA LIV.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD EOSDEM.

Eiusdem argumenti.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis O. electo,
& canonicis Alexandrinæ ecclesiæ, salutem
& apostolicam benedictionem.*

CONGRVM officii nostri actionem * exequen. cum * f. ex-
 quim,
 ea quæ ad ornatum & decorem domus Domini lau-
 dabili prouidentia statuuntur, per nos incrementum ac-
 cipiunt, & apostolicæ tuitionis præsidio in suæ firmitatis
 robore conualescunt. Eapropter, dilecti in Domino filii,
 vestris iustis postulationibus benignius annuentes, cano-
 nicam, quam sibi * electe in ecclesia sancti Petri de assensu * f. electo
 cleri & populi statuisti, protectionis nostræ munimine
 roborantes; & electionem, quam de personis idoneis ad
 dignitates ecclesiæ tenendas fecisti, dilectis filiis nostris
 magistro Hugoni præposituram, magistro Cataldo archi-
 presbyteratum, magistro P. cantoriam, prouida delibera-
 tione concedentes ratam habemus. Etiam singulis prædi-
 ctas dignitates auctoritate apostolica confirmamus. Præ-
 terea ecclesias vsibus vestris, filii canonici, deputatas, scili-
 cet sanctæ Mariæ de Gamundio, sancti Dalmatii de Ma-
 ringo, sancti Michaelis de Soleriis, sancti Stephani de
 Bergolio, sanctæ Trinitatis de Vvilia, sancti Andreae de
 Rouerteo, & sancti Augustini de Foro, vobis nihilo mi-
 nus duximus præsentibus literis confirmandas; statuen-
 tes, vt nulli omnino homini liceat hanc paginam nostræ
 confirmationis infringere. Si quis autem hoc attentare
 præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & bea-
 torum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incur-
 surum. Datum Tusculani decimoquinto Kalendas Au-
 gusti.

Ego Otto notarius sacri palatii authenticum huius bullæ
 domini Alexandri papæ bullatum vidi, & legi, & sicut in
 illo reperi, ita in hoc scripsi, nihil addens, vel minuens, aut
 mutans, præter punctum, literam, & syllabam.

Ego Vermus notarius sacri palatii authenticum huius bullæ vidi, & legi, & subscripsi, &c.

EPISTOLA LV.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD EPISCOPOS SCOTIÆ.

Confirmat sententiam legati apostolici, qua ille Ioannem legitime electum confirmavit, & Hugonem a rege in episcopatum sancti Andreae intrusum deposuit.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus uniuersis episcopis, & dilectis filiis, abbatibus, & aliis ecclesiarum prælatis, per Scotiam constitutis, priori, canonicis, clero & populo sancti Andreae, salutem & apostolicam benedictionem.

COMPERTO nobis, quod iam pridem venerabilis frater noster Ioannes, nunc episcopus sancti Andreae, canonicè fuisset electus, & post electionem suam Hugo (appellatione interposita) in ecclesia illa per potentiam laicalem intrusus consecrari ausu temerario præsumpisset, electionem ipsius apostolica auctoritate cassantes, dilectum filium nostrum Alexium subdiaconum nostrum, sedis apostolicæ legatum, de electione præfati Ioannis cogniturum, ad partes vestras direximus. Qui cum mature fatis, sicut per multorum testimonia nobis innotuit, & canonicè processisset, electionem ipsius canonicam comperiens, post multiplices inducias, in quibus regiæ magnitudini detulit, auctoritate apostolica confirmavit; præcipiens omnibus, qui ad ecclesiam sancti Andreae pertinerent, ex parte nostra, ut ipsi Ioanni sicut electo obedientiam & reuerentiam exhiberent. Vnde, cum nullus propter metum regium in manifesto obedire auderet, idem legatus non regnum, sicut de iure poterat, sed episcopatum interdicto subiecit.

Cum igitur tam ecclesiastici quam sæculares principes a carissimo in Christo filio nostro Vvilielmo illustri Scottorum rege districtius adiurati fuissent de recto consilio dando, firmiter promittente ipso rege quod eorum confi-